V T Z

1 5 9 2

[illegible]
Vigilando agendo bene consulendo [illegible] omnia [illegible]

V. T. Z. = Valentinus Thobiae Zatacenus

1997 KK 69
AKC. 16/1-49
1200,-
St. Dr.

[illegible]

Si tibi, vel famae, oblatrans convitia Momus
Jugerit, Alterius natus obesse bono.
Mente feras aequa, rationem opponi furori,
Hoc ictu tibi quem destinat, ipse ruet.
Sola tuos hostes vincet Tolerantia, solus
Zoilea patiens, fortior est rabie.

Sis patiens, vincet tolerantia zoilum iniquum,
Zoile te quisquis ferre scit, ille sapit.

Disputatio III.

DE

CŒNA DOMINI,

& quidem

Ex 1. Corinth. 10.

PRIOR.

Quæ, iuuante & volente DEO, in illustri Academia IVLIA habebitur,

PRAESIDE

DANIELE HOFMANNO
Th. D. & Profess. Respondente autem
M. Christiano Probst, Pastore Riddagesshusano,

XIV. die IXbris, Anno 1588.

Helmstadij Excudebat Iacobus Lucius.

AD

THESES

CL. V. Dn. D. DANIELIS HOFmani, Th. & Prof.

SBT

Spasticus imperfectus homo, qui membra cohaeret
Partibus elumbis, speciosâ veste, duabus,
Quin & epistotonus contemnit in omnibus Omnes:
Vestem tolle, loco remoue: vix corporis umbra
Apparet fragilis, cuius radicatus ungit
Pectora plus aloës, grati quàm mellis. inertis
Carpendi vitio sic hac aetate laborant
Multi, parturiunt vana qui mentis abortum:
Detege mendaces animos, conuitia tolle,
Omnium & artium egent, & nullius artis abundant:
Fraude, doloque potens solummodò fascinat aquas
Mentem lingua, trahens velut ad vivaria mentem.
Sensibus involvunt horrendis omina vocum,
Et Scripturarum vim pro ratione Sophorum
Torquentes, odio Verbum caeleste fatigant.
Attamen ingenti Virtus divina refulget
Effectu, sacro qua iugiter addita Verbo:
Qualis inaccessis hystrix defenditur armis,
Durus acuta pilus cui tergora munit ab omni
Parte, nec admittit ringentes ora molossos.
O mensura rei divina maxima, iustas
Cuius agis partes, confidentissime solo
O Hofmane Deo, quem solum IVLIA solere
Laudibus hac resonare doces Collegia summis,
Calumniique dolos manifesta in luce reponis
Iusta Scriptura trutinâ: res obvia cunctis,
Vidit ut Actaon, turpem sine veste, Dianam.
Perge, quod extinguunt alii, defendere Verum
Posteritas, subiugens cacum rationis acumen:
Inditio Sorex proprio sic vitè peribit,
Dixque Conon ululas doctas transmittes Athenas,
Qui movet otlipedem, fodit ignem, suscitat Orcum.

M. Ludolph. Rolevincus, Magd.

Ex Bibl. ad aed. Mar. Magdeb.

BIBL. UNIW. WROCŁAW
1997 KK 69
AKC. 16/1
1936 k 281/7

DANIEL HOFMAN TH.

D. & Professor Studiosis in Academia

IVLIA

S. P. D.

MVltæ & graues sunt causſæ, quæ docentes & diſcentes in Scholis excitare debent, vt de certamine Sacramentario ſæpè &accuratè ſententias conferant. Certatur enim de bonis vniuerſo mundo precioſioribus, quę Chriſtus Saluator noſter teſtamento legauit ſanctiſſimo, nobis τὸ ἐγκὸν tabularum teſtamentariarum vrgentibus, Caluinianis verò iſtud inuertentibus. Aduerſarios autem habemus acutos, verſutos & laborioſos, quibus noſtrates etiam ingenioſi & docti fruſtra reſiſtent, ſi labore ceſſerint: hunc verò minus benè collocabũt, niſi ingenia doctrina neceſſaria excoluerint. Quantò etiam plures deſides inter Doctores noſtræ [illegible] tis videmus, tantò nobis acriùs annitendum eſſe ſciamus, ne audiamus: *Maledictus, qui opus Domini negligenter facit.* Nouimus ſanè quoſdam excellentibus donis præditos Theologos manus de tabula Sacramentaria planè ſubduxiſſe, & ſuæ ceſſationi pompoſam ſapientiam aduocatam habere, eamq; oſtentare, tanquam ſcholarũ, Eccleſiarum & rerumpub. quieti atq; commodis probè paratam. Verùm ſi quis in timore Domini τὸ τῆς σοφίας ἄσκον excutiat, aut vanitates vanitatũ agnoſcat, aut ipſum Deum cum filijs ſuis accuſet, oportet.

Ipsi saltem secreta cordis sui pandant, & causæ, quas promturi sunt, erunt huiusmodi. Caluinismum perreptare & inficere multorum potentum familias, quos offendere grauè ducant, qui fauores magnatum ambire constituerint, Caluinianos doctores exquisitis conuitijs excipere, & tractare aduersantes, quæ audire reformident, qui laudes aucupentur. Refutationem doctrinæ istorum, præsertim postquam & argumenta vetera nouis pedamẽtis suffulta, nouisq; coloribus exornata, & noua subinde acutiùs excogitata obijciuntur, ingẽtes poscere labores, quos in re odiosa magis auersentur ingenia, quæ circa oblectamenta iucundæ eruditionis occupari, & in tranquillo Musæo suauiter delitescere cõsueuerint. Euentum deniq; horum laborum etiam inter eiusdem confessionis socios esse dubium, cuius periculo sese committere, cum antecessorum vestigia versentur ob oculos, & accedentem terreant, non sit sapientis.

Talia vtiq; proferent, si cordis sui intima aperire & reuelare voluerint. Quæ autem istorum incõmodorum ad gloriam Christi & ædificationem Ecclesiæ, ad bona, inquam, publica & summa, quæ istorum priuatorum etsi molestorum malorum comparatio? An non desertio muneris, necessitatis præsertim, fidem alacriorem postulantis, tempore, maioribus implicat malis? Iram n. Dei commouet, qui omnipotens est, conuitio longè grauissimo de eiusdem sententia iustissima onerat, angores conscientiæ omnib. temporalib. afflictionib. sæuiores parit, & nisi conuertatur reus martyrem ipsum efficit infernalem. Verùm huc non pertingit sapientia, quæ cœlum non aspicit, nisi in terra pedes fortiùs fixerit, nec tueri illud suadet, nisi periculum amittendæ terræ absit.

O fatuos Prophetas & Apostolos, ô seruos Dei fideles omnes stolidos, quòd ista mente tranquillitatis & vtilitatis prouida destituti fuere! ô vos miserrimos, qui ex Synagogis vt turbatores eiecti & trucidati estis, quoniã ignorastis rationem illã solertem parandi vobis amicos, & hærendi in sedibus patrij & iucundi soli! Vę tibi adhuc Christe à Iudæis ob eandẽ mentis aberrationẽ crucifixe, si in horum manus iam incideres iustificandus! Quis verò adeò stupidus est, vt sensu voluptatis careat, qua in vacatione laboris & doloris caro afficitur? Verùm cùm nemo nostrum ad huius mundi otium à Deo vocetur, vt Theologiam factitando huic imprimis vacet, sed totum mundum in curriculo pietatis, quotiescunque eam vel minimùm retardet, spernere iubeamur omnes, qui Christi veri sectatores esse volumus, vereq; regium, hoc est, Christianum sit, agere quod Christus iussit, & pati quod ipse passus est. Deum precor, ne me isti committat consilio, quo molles quidam religionem ad pacem corporalem potissimùm conformandam docent. Cumq; aliâs homines hoc seculo ad impiam securitatem procliues sint, Theologi isti tanto crimini sapientiam Theologicam præsidem constituentes, non paucos etiam bonos, qui mundi sapientiam profundiùs norunt, & propterea in aulis atq; rebuspublicis primas tenent, ad abusum donorum suorum seducunt, eorumq; consiliorum autores sunt, quibus hodie ingenua veritatis confessio multis in locis premitur, quibusq;, nisi Deus domũ suã custodierit, Ecclesia prodetur hostib. fœdè deuastãda, & quod nobis patrib. maximè dolendũ venit, chariſſima nostra posteritas tradetur miserando exitio. Quod cũ alicubi iam tum Scholas & Ecclesias inuaserit atq; oppresserit, multis aũt in locis ex sapientia tenellorũ Theologorũ à politicis recocta & condita immineat, maius pondus atq; precium

conciliatur huic beneficio, quo Illustrissimus nostræ Iulię Parens & Nutricius D. *IVLIVS*, Dux Brunsuicensis & Lunæburgensis, &c. Ecclesiam afficit, permittens vt de controuersijs grauissimis in hac Schola disputetur.

Eius quoq; celsitudinem aduersus corruptelas confessionis suę persæpe in zelo efferuentem vidimus, vt animum Herois à mollimine illo, quo Satã in aulis & rebusp. sapientiæ cuiusdam pigmento erroribus halcyonia, veritati autem tempestates creat, alienum possimus testari. Alit etiã aula Iulia præclaros imitatores zeli sui Domini, quos cum principe laudato meritò quotidianis nostris precibus diuinæ tutelæ, vt Ecclesiæ diu seruentur incolumes, commendamus. Hoc tamen vehementer metuimus, ne multorum apud nos in imitatione eius, quod pium & promptum est, negligentia, & in vsurpando concesso beneficio torpor, itaque ingratitudo erga Deum, Principe nostro & Celsitudinis ipsius consiliarijs vt organis benignitatis suæ erga nos vtentem, causa existat tollendi à nobis præclarum illud bonum. Huius culpam vt nostro loco, quantum fieri possit, caueamus, tertiam nunc Deo volente disputationem de Cœna Domini instituimus, qua fundamenta nostræ aduersus Caluinianos confessionis defendamus.

Vulgatum sanè est, & inter nostrates satis tritum, τὸ ῥητὸν in verbis Cœnæ seruandum, & præsentiam essentialis corporis & sanguinis Christi, cum sacris elementis credendam esse. Sed si fundamenta postulaueris, quę conscientiam firment, à multis ea ignorantur, etiam ijs, qui alios docere volunt & debent. Si eadem ab aduersarijs impetita vindicari & asseri debent, hîc multo pauciores inter docentes reperias.

Quidam etiam in aciem prodeuntes, de alienis dimicant, pertinentia vel non attingunt, vel obiter tractant, vel etiam destruunt, & fratres feliciùs pugnantes à tergo vulnerant, id quod hoc superbo ideoq; errorum feraciore seculo plurimis exemplis ostendi posset, nisi nunc ab illis abstinendum putaremus. Istud verò frequens est inter vulgus indoctorum pastorum, vt cum fundamenta veritatis nunquam rectè cognôrint, nec ad terminos eruditæ discretionis assueti sint, carpant ea, quæ non intelligunt, multosq; adolescentum, vt eos sibi similes reddant, hoc est, in ruditate detineant, ab inquisitione tali deterrent, à quorum moribus alienos esse oportet eos, qui fidem DEO aliquando probare cupiunt. Nequaquam enim bona cum conscientia docent, qui aliquid tradunt, cuius vel fundamenta ignorant, vel defensorem oderunt, & quod quasi præmansus cibus ingeritur, respuunt, atq; discere nolunt. Multum verò & sibi & alijs consulent, quos quæ docere volent, etsi didicerint, solidiùs tamen addiscere nunquam piguerit, quod vt nos quoq; faceremus, non solùm docere satagimus: sed alijs etiam nos docendos tradere nos non pudet, nec diffitemur, quod etiam à discipulis, qui in nostra veri amore inquisiuerunt, & nonnunquam rationes fundamentaliores & constantiores efflagitarunt, didicerimus, vbi veritas laborare posset, & meliùs muniri deberet, imò non rarò vitula eorum arauimus. Quis verò adolescentum adeò oculatus fuerit, qui Præceptorum oculis plus videre desperet. Quòd igitur proximis disputationibus factum est, vt studiosi frequentiores confluerent, nec, licèt in aliquot dies traheretur collatio, tædium conciperent, sed vsq; ad finem attenti assiderent, quibusdam non exigua symbola conferentibus, idem vt 14. Nouembris fiat, rogamus obnixè,

nixè, noſtramq; denuò offerimus, atque DEO nos benè iuuante, probabimus beneuolentiam omnibus & ſingulis, qui veritatis ſtudio nobiſcum colloqui voluerint.

Tu verò Præſes eſto *IESV CHRISTE*, & Spiritu tuo ſancto rege mentes noſtras, ne à ſemita verborum tuorum latum diſcedamus vnguem, Amen.

V. P P. Helmſtadij VII. IXbris,
Anno Chriſti 1588.

DISPV-

DISPVTATIO III.

De Cœna Domini.

Et quidem prior ex 1. Cor. 10.

Theſis I.

PRobauimus, Deo docente, hactenus: τὸ ῥητὸν conſtare in his verbis: Panis ſacræ Cœnæ eſt Corpus Chriſti: Et vinum ſacræ Cœnæ eſt ſanguis Chriſti, etſi prædicationis modus proprius non ſit vel vſitatus, ſed improprius & inuſitatus.

II.

Inde conſequens euicimus, verum Corpus Chriſti, & verum Sanguinem Chriſti, cum Pane & vino verè eſſe præſentia, licèt modus naturalis non ſit, ſed myſticus & ignotus nobis, ſoliquè DEO cognitus.

III.

Idem docuit Apoſtolus 1. Cor. 10. & quidem in illa parte, qua de Cœna Domini ex profeſſo agit.

IIII.

Quandoquidem autem ea, quæ in hoc capite præcedunt, ſi mentem Apoſtoli ſeruent, lucem ſequentibus afferunt, & neruos firmant: ſi verò contorqueantur ad opinionem Caluinianam, pòſt quoq; à veritate doctrinæ de Cœna mentem præoccupatam abducunt, non poſſum præterire priorem propoſiti capitis partem.

V.

Ante omnia verò occaſio & ſcopus Paulinæ diſſertationis co-

nis, cognoscantur. Corinthij, Euangelij dono elati, eiusq; argutiore & dilutiore scientia inflati, tum alijs suis erroribus & vitijs inde scaturientibus securius indulgebant, tum verò idolothytorum vsum, sine discrimine sibi liberum, & absq; noxa licitum esse, persuadebant.

VI.

Hac superbia & persuasione laborantes falli & seduci demonstrat Apostolus, & contra scientiam opprimentem conscientiam, contraq; temerariam libertatem vescendi idolothytis capitibus præcedentibus disputauit prolixè, idemq; argumentum persequitur capite 10.

VII.

Et quidem singulis argumentis Apostolus illam partem falsæ opinionis accommodat, quam in primis tum refellere constituit, quamq; obseruasse plurimùm confert sinceritatis interpretationi.

VIII.

Liquet autem ex capite decimo, quòd Corinthij præsumserint, se extra periculum lapsus constitutos, qui communi vsu ministerij verbi & Sacramentorum videantur stabiliti. Nam Paulus ex simili communione in probatos & reprobos distincta sic concludit. Itaq; qui sibi videtur stare, videat ne cadat.

IX.

Et quoniam Corinthij illa præsumtione licentiam communicandi idolothytis sibi sumebant, & huc sua accommodat Paulus inquiens: Quapropter, dilecti mei, fugite ab idololatria.

X.

Hic locus obijcitur nostræ circumspectioni, qua cauemus, ne extra sedem Eucharistiæ propriam Sacramentaria litis decisio fiat, cum nec prudenter nec feliciter id suscipiatur aut expediatur.

Paulum,

XI.

Paulum, aiunt, hîc comparare veteris & noui Testamenti Sacramenta, eaq; reuocare ad ταυτότητα & identitatem in re Sacramenti, de qua potissimùm sit inter nos dissensus.

XII.

Hoc si verum esset, Pauli autoritate (vt putant) nobis euagandum esset extra institutionem S. Cœnæ, alibiq; mens quærenda & regula iudicij comparanda, qua præberet explicationem verborum Cœnæ.

XIII.

Item, si eadem res Sacramentorum veteris & noui Testamenti frustra essiagitaremus, in Cœna realem præsentiam corporis & Sanguinis Domini in terra, quæ veteribus non fuit.

XIIII.

Constaret de opinione illorum & hoc, Paulum voluisse declarare orationem Christi: Hoc est Corpus meum: item per istam: Petra erat Christus, in qua metonymiam satis euidenter apparere arbitrantur.

XV.

Quia etiam fidei quædam præsentia communis est vtriq; populo, hanc potiùs, quàm singularem spectare iubent, vnde ad repræsentationem mentis EST Sacramentale reducitur.

XVI.

Eodem ductu κοινωνία Corporis Christi in Paulo explicatur pro consociatione cum Corpore Christi. Videamus igitur quid quomodo probetur.

XVII.

Comparari Israëlitas & Christianos extra controuersiam est, quia Paulus ipse scribit versu sexto. Hæc autem typi nostri fuerunt. Et versu 11. Hæc scripta sunt ad nostri admonitionem.

XVIII.

Quòd autem conferantur in Sacramentis, & quidem identitate rei Sacramentorum, hoc negamus.

XIX.

Etsi enim typos Israëlitis exhibitos, commemorat, eos tamen inter Sacramenta perpetua recensenda esse vel Beza negat parte 2. Quæst. q. 73.

XX.

Nullibi legitur institutio Sacramentaria, qua mare rubrum, vel Manna, vel Aqua Petræ mandato DEI inuoluta sint certæ actioni & ritui vsurpationis, annexaq; promissio gratiæ, & huius applicatio, qualia ne quidem nubi competunt. Taceo rationem testamentariam, & durationem, quæ ad Testamenti tempus astricta est. Taceo etiam, quod Sacramenta hominibus saltem instituuntur, quum pecudes per mare transierint, & potatæ sint riuo ex rupe profluente.

XXI.

Non verò cadit in Apostolum hæc incogitantia, ut comparationem in Sacramentis adornans, nullius veri Sacramẽti mentionem faciat, sed ea alleget, quæ Sacramentis non accenseantur.

XXII.

Et quæ esset pietas, si testamentaria institutione DEI insigne & sacrum in præcipua parte substantiali æquaremus rebus, simili institutione diuina non commendatis?

XXIII.

Imò ne quidem typi illi identitate ea comparantur cum nostris Sacramentis, quam Caluiniani constituunt.

XXIIII.

Ad versum: Omnes eandem escam comederunt, Beza ascripsit: Eandem, scilicet atque Nos. *Notetur igitur, hæc verba,* atque Nos, *non esse in textu, sed addi à Beza.*

XXV.

Ad hæc respondens ille Q. 74. ait: Sophisticum hoc effugium est. Quasi verò Sophistam ageret, & clabi cuperet, qui Bezæ sese opponit, ne textum Apostoli suis additamentis corrumpat.

XXVI

Sed quatuor, inquit, rationibus refellitur Sophisma. Primum, quod non esset satis firmum Pauli argumentum, si Sacramenta statuantur reipsa imparia.

XXVII.

Hæc verò ratio præsupponit comparationem Sacramentorum nondum probatam.

XXVIII.

Olim cum scriberet aduersus D. VVestphalum, P. M. infirmitatem argumenti conatus est ostendere hac obiectione Corinthiorum: Nos habemus longè potiora testimonia nostræ cum Deo reconciliationis, nempe Sacramenta, quæ nos reddunt longè chariores Deo, quàm vt tam seuerè velit nobiscum agere.

XXIX.

Hic verò nihil impetrat amplius, nisi vt in simplici collatione argumentorum vnum altero fortius prædicetur. Hinc porrò concludere, alterum non esse satis firmum, & hac de causa reiiciendum id citra necessitatem & cum periculo sit.

XXX.

Quæ n. necessitas est, vt in cumulo argumentorum neruosius deroget firmitati alterius?

XXXI.

Quæ denique retinebimus in disputationibus Propheticis, Christi & Apostolicis, si vni argumento excellenti ita cedere debeant reliqua, vt inducantur tanquam non probantia.

XXXII.

Quid, inquit Caluinus, hic aliud agit Paulus, quàm populum veterem iisdem nobiscum beneficijs ornatum, & eorundem

Sacramentorum participem fuisse, ne illius prærogatiuæ fiducia exemtum iri nos putemus à pœnis, quas illi pertulerunt.

XXXIII.

Fieri sanè potest, vt in quibusdam comparationibus minus diuersitatis relinquatur, sed quòd quæuis prærogatiua in vno statim argumentationem infringat, vt nihil sit fiduciæ in consequentia, hoc Logicum non est.

XXXIIII.

Et quò tendit omnis prærogatiuæ præcisio, nisi vt ex similibus fiant eadem, sicut eò progreditur Caluinus, vt eorundem Sacramentorum participationem poscat?

XXXV.

Ac si hoc fuit propositum Apostolo, cur veris Sacramentis omissis, nudos typos recensuit, & Corinthijs prærogatiua Sacramentorum exceptionis causam præbuit?

XXXVI.

Sed salua res est, nec reliqua Corinthijs contra comparationẽ Apostolicam Apologia, quia dixit: Hæc aũt omnia typicè eueniebant eis, scripta verò sunt ad nostri admonitionẽ, in quos fines seculorum deuenerũt. *Quid aũt fortius, quàm cõparationẽ Dei ordinatione et sacræ scripturæ intẽtione firmari?*

XXXVII.

Redigamus denique & exigamus disputationis Apostolicæ neruos ad quæstionem, quæ est: Num in cœtu, voce Euangelij collecto, in quo doctrinæ abundans scientia & rerum spiritualiũ communis participatio iactatur, securior vitæ libertas idololatriæ communicans periculosa sit & exitiosa.

XXXVIII.

Corinthij nõ timendo periculũ negabant, quod affirmabat Apostolus.

XXXIX.

Refutaturus igitur Corinthios negat thesin, h. e. inficiatur, quòd externus vsus diuinorum donorum Ecclesiæ Dei proprierum & promiscuo cœtui communium sufficiat ad demonstrandum viua & non peritura membra.

XL.

Hanc negatiuam probat exemplo Israëlitarum in deserto, qui communi vsu admirandorum beneficiorum Dei tum temporis Ecclesiæ concessorum pares fuerunt, sed non pariter Deo placuerunt, id quod exitia multorum demonstrarint.

XLI.

Vt porrò fiat applicatio exempli, distinguentis Israëliticam Ecclesiam in probatos & reprobos, necesse est Israëlitas cum Corinthijs æquari.

XLII.

Hîc verò sufficit, si tam illos, quàm nos Ecclesiam DEI externa vocatione & vsu verbi atq; Sacramentorum congregatam docuerit, à quo sibi concesso beneficio Corinthij ad fugandum metum periculi argumentabantur.

XLIII.

Non enim per omnia conuenient populi, sacris testamentis diuinitus discreti.

XLIIII.

Et sicut non est necesse, vt identitate sacramentorum conferantur, ita mutuis escæ & potus nulla necessitate exigitur, cum comparationis vinculum non desit, ad quod Apostolus nos intendere iubet, cum inquit: Patres nostri.

XLV.

Patres nostri dicuntur Israëlitæ, hoc est, non tantùm ætate antecedentes, sed etiam vnius & eiusdem Dei religione nobiscum coniuncti, & quòd comparationi firmissimum neruum addit, Dei consilio nobis præfecti, vt in doctrina patres nostri sint. Et quidem in eo ipso ait, illos patres nostros constitutos, vt doceremur, eos, qui vtrobiq; in antecedente, h. e. vitæ impurioris licentia conueniant, consequente, h. e. sorte perditionis esse aquandos.

Cumq;

XLVI.

Cumq; gemina sit collatio, vt qui sorte diuidantur, eodem tamen nexu & fœdere coëant, & qui fœderibus distinguantur, suam tamen communionem habeant, non est necesse, vt si vnius partis diuisa inter se comparentur, identitas eius, in quo ista coëant, sit communicanda vtriq; parti.

XLVII.

Sic ijsdem Sacramentis (si latiùs hac voce vti libet) vsi sunt Israëlitæ in deserto, quibus scilicet Dominus tum populum illum peculiariter donauit. Rursus Christiani suis, à Deo singulariter ordinatis, vtuntur, inter se nimirum ijsdem & communibus singuli.

XLVIII.

Vt verò illi non omnes placuêre Deo propter communem vsum spiritualium rerum, sic nec hi omnes propter similem communionem placebunt necessariò.

XLIX.

Hic ergo quid desideretur, ne firma consequentia constet Apostolo, non videmus, sed expectamus, vt opponens, si quid tale videat, suggerat.

L.

Rectius Caluino & Bezæ Oecolampadius censuit, sic scribens. Non est facienda collatio cum nobis, sicut quidam exponunt, quod eandem, quam nos, escam ederint. Sed inter ipsos fit comparatio, vt esca, quam Moses manducárit, nec Core, nec Abiram, nec mulieribus sit denegata.

LI.

Secunda ratio Bezæ: Quoniam hanc ipsam escam, & hunc ipsum potum disertis verbis pronunciat Apostolus, esse Christum.

LII.

Hic initiò netetur, quòd hunc ipsum cibum, ait, dici Christum, id, quod etiam Pauli explicationi congruit. Si autem prestius cum Beza egeris, cum Mose, Corem & Abiram coniungens, à solis fidelibus Christum, ab infidelib. autem nudum Man meramq; aquam recipi contendet.

LIII.

Vbi verò tum collatio Israëlitarum in identitate cibi, & quæ Christianorum cum Israëlitis in eadem identitate Man & aquæ, miraculosè profusæ, cõmunio? Sed hic locus in disputatione de indignis sudes erit in aduersariorum oculis. Ad rem.

LIIII.

Esca & potus spiritualis Israëlitarum dicitur Christus, qui cum vtriq; populo veteris & noui Testamenti communis sit, videtur arguere, vtrunq; populum in cibi identitate comparari.

LV.

Respondeo, non fore necesse, hoc ita statui, etsi identitas planè esset probata. Vt n. quidam inter se conferri possunt humanitate, missis plurimis alijs, etsi omnes identitate generis vel speciei conueniant: Sic Christus communis pluribus, comparationi, inter pauciores institutæ, medium præbebit, vt nõ necesse sit comparanti intentionem simpliciter omnes complectentem, tribuere.

LVI.

Sed de identitate adhuc lis hæret, præsertim cum in sacra Iesu Christi Cœna corpus eius manducandum & sanguis ipsius bibendus promittatur, in fraudem verò realitatis eius, quod appellatur, quæq; argumentis immotis demonstratur, ista αὐτὸς accersatur.

LVII.

IESVS CHRISTVS heri, hodie & in secula idem est, inquit Epistola ad Heb. cap. 13. quòd si de essentia humanitatis intellexeris non saluabis. Ideo Caluinus hoc non de essentia, sed de noticia Christi accipiendum monet, quæ omnibus temporibus viguit inter pios, & perpetuum Ecclesiæ fundamentum est.

LVIII.

Idem ergo omnibus ætatibus propositus fuit Christus promissione, idem omnium & singulorum, verè credentium, fide agnitus, sed non idem semper essentia.

LIX.

Fateor, inquit Beza Quæst. 76. rem ipsam, id est, ipsum Christum actu non fuisse Israëlitis in deserto exhibitum secundùm carnem, siue de facto, vt loquuntur, sed de iure tantùm. Et in Cyclope: Quòd ad ipsam carnis essentiam attinet, agnosco propriam eius communicationem non extitisse patribus, cuiusmodi nunc à nobis præcipitur.

LX.

Manifestum igitur est, essentia carnis, actu & de facto non fuisse eundem Christum, eundemq; cibum & potum Israëlitis, qui Christianis est.

LXI.

Huc spectat, quòd Caluinus ad versum Pauli nonum adscripsit: Vocabulum Christi, quia notationem habet, humanæ naturæ congruentem, tunc nondum quadrabat Filio Dei, sed illi per communicationem proprietatum tribuit, sicut alibi legimus, Filium hominis è cœlo venisse, Ioan: 3.

LXII.

Augustini auctoritate hîc multùm instant aduersarij, cùm tamen vnius hominis testimonium plurium eiusdem ordinis contrarietate eleuetur. Inter vetustiores enim Patres, præter Augustinum, nullum habent, qui in hoc loco Pauli identitatem, respectu veteris & noui populi, similiter vrserit.

LXIII.

Præterea identitas illa ab Augustino etiam restringitur, vt secundùm quid dicta fallaciter accipiantur simpliciter.

LXIIII.

Lib. 19. contra Faustum, cap. 16. scribit: Magno errore delirant, qui putant signis, sacramentisq; mutatis, etiam res ipsas esse diuersas, quas ritus propheticus pronunciauit promissas, & ritus Euangelicus annunciat completas.

LXV.

Idem, inquit Psal: 77. in mysterio cibus & potus illorum, qui nostri, sed significatione idem, non specie, quia idē ipse Christus illis in Petra figuratus, nobis in Carne manifestatus.

LXVI.

En idem, & non idem. Ergo non omninò idem, nec identitas Augustini contra τὸ ἐνὲν prædicati, in propositionibus Christi sacramentalibus allegari potest: Quomodo responsum sit etiam rationi, quam Beza quartam fecit.

LXVII.

Atqui omnes promissiones sunt oculis fidei præsentes, inquit Beza in Cyclope.

LXVIII.

De fide verò quæ hîc afferuntur ex 8. Ioan. & ex 11. Cap. ad Heb. valde intempestiua sunt, cùm in hoc ad Corinth. loco Apostolus agat de præceptione rerum spiritualium fidelibus & infidelibus communi.

LXIX.

Etsi verò fidei historia communis potest esse vtriq;, huius tamen proprietas non est, vt sit ὑπόστασις ἐλπιζομένων.

LXX.

Non enim loquitur Epistola de præsentia, quam speculatio, vt Sacramentarij philosophati sunt, præstat, sed de effecto virtutis diuinæ, apprehendentis manum fidei, quæ non solùm notitia & assensu, sed inprimis fiduciâ apprehendit Christum, & vicissim apprehensa robore inexplicabili tenet eum.

LXXI.

Vulgaris est præsentatio rei creditæ, quæ speculatione constat, & fidei est historicæ, communis etiam Diabolis, cùm & illi taliter credant. Iacobi 2.

LXXII.

Præstantior est cum fides, quæ non est omnium 2. Thess. 3. sed donum Dei Phil. 1. fiducia apprehendit Christum. Hic fidem fieri ὑπόστασιν rerum sperandarum, quæ faciat, vt extent, quæ sperantur, & demonstret, quæ non videntur, quemadmodum Beza vertit, largimur.

LXXIII.

Sed vt hæc fides non erat eorum, quos Deus non approbauit, ita ad identitatem illam, de qua Apostolus agit, non pertinet.

LXXIIII.

Præter confusionem historicæ & saluificæ fidei hæc noua accedit, quòd fidei perceptioni causa præsentiæ tribuitur, cum hæc illius causam præbeat. Præsentem n. rem offert Deus, vt fides eam amplectatur, non, vt fides recipiendo rem præsentem sistat, ordinauit.

LXXV.

Quòd si fides ad rem, non spiritualiter solùm ipsi fidei oblatam, sed etiam præsentia quadam Sacramentali cum elementis proposita, accesserit, tum sui generis παρρησίαν conciliando addit, quod non erat, & relinquit quod erat.

LXXVI.

Exempli gratia: si Dominus dixisset: Manna est corpus, & aqua Petræ est Sanguis Christi, quædam illorum etiam non extantium præsentia statuenda esset cum illis symbolis, non significatione solùm, sed mystica & admiranda præsentatione. Neque hæc præsentia per fidem sumentis conficienda esset, sed ordinatione diuina singulariter facta credenda, credendo percipienda, & percipiendo præsentior habenda.

LXXVII.

Ad hæc mysteriorum intima non pertingunt multæ aduersariorum aliâs argutæ de fide & rebus spiritualibus philosophationes, de quibus tamen ipsos Bertramus, quem peculiariter contra nos conducere solent, commonere potuisset & erudire.

LXXVIII.

Insignis est istius Bertrami locus, quem citat orthodoxus consensus pag. 62. Patres, ait, in deserto Corpus Christi mandicasse, & sanguinem eius bibisse, idq; in Manna & aqua Petræ. Ne quis verò irrideret sententiam cùm λόγῳ tum nondum fuerit incarnatus: rursus, ne quis modum mentis rationi planum & perspicuum excogitaret, prudenter & piè subjcit: Non istic ratio, qua fieri potuerit, disquirenda, sed fides, quòd factum sit adhibenda. En fidem, quæ factum sequitur, non efficit.

LXXIX.

Rectè sentit, & ad medullam vsq; huius doctrinæ penetrat Beza, cùm in Cyclope ait, Patres non tantùm efficaciæ Christi participes fuisse, sed etiam vera nascituræ Christi carnis membra. Idq; fidei dandum certũ est, qua Abraham vidit diem Christi, & gauisus est, seu quæ est ὑπόστασις rerum sperandarum, quod miraculum animus humanus haud assequitur.

LXXX.

Cùm verò credat, ineffabili quodam modo patribus communicari potuisse à Deo Corpus Christi aliâs nondum existens, cur tantopere refugit præsentationẽ corporis & Sanguinis Christi in S. Cœna supernaturalem à λόγῳ incarnato institutam, præsertim cum Bertramus idem miraculum statuat in coniunctione Corporis & Sanguinis Christi, cum Manna & aqua, quanquam in sacris paginis veteris T. nihil legatur de ordinatione illa Sacramentaria, qua similis sit institutioni S. Cœnæ N. T?

LXXXI.

Et notabile est, quod Bertramus his phrasibus vtitur: Inerat corporeis illis substantijs Spiritualis verbi potestas. Item: In deserto Christus in Petra constitit. Nam mirum certè, quia incomprehensibile & inæstimabile.

LXXXII.

Et iterum: Ipse namq́, qui nunc in Ecclesia Omnipotenti virtute *Panem & Vinum in sui Corporis Carnem, & proprij Cruoris vndam spiritualiter conuertit, ipse tunc quoq́ Manna de Cœlo datum Corpus suum, & aquam de Petra perfusam proprium Sanguinem inuisibiliter operatus est.*

LXXXIII.

Ex his animaduertit Lector, veteres paritatem Sacramentorum adeò non allegasse contra præsentiam inenarrabilem Corporis & Sanguinis Christi, cum Pane & Vino in S. Cœna, vt Bertramus indulgens inquisitioni istius paritatis plus largitus sit Mannæ & aquæ in deserto, quàm Caluiniani Eucharistiæ, idq́ ideo feceris, vt à violatione Cœnæ Dominicæ istam paritatem auocaret.

LXXXIIII.

Sed quid sit de ratione Bezæ secunda? vtiq́ Christum vnum & eundem semper fuisse populo Dei profitemur, sed inde euinci necessitatem collationis Israëlitarum & Christianorum in identitate escæ & potus, ipsamq́ identitatem nullam admittere diuersitatem, adeò vt realitas, præsentiæ Corporis & Sanguinis Christi, in S. Cœna & cum symbolis huius obliquè impugnetur, id negare non desistimus, nisi firmioribus argumentis erroris conuincamur.

LXXXV.

Addo Paschasij testimonium, quem cum Bertramo Orthodoxus consensus iungit hoc loco Augustino, ne eius inter vetustiores singularitas laboret manifestiore solitudine. Idem, inquit, potius in præfiguratione, sed non idem in adimpletione veritatis. Et rursus: Quia idem nec dum in re, sed in spe ac figura, vbi promissio Veritatis inerat.

LXXXVI.

Terriò, inquit Beza, Apostolus permutat ipsa Sacramentorum veterum & nouorum nomina, noua veterib. attribuens, vt illam in re singnificata & vsu ταυτότητα declaret.

Quæ

LXXXVII.

Quæ verò hæc consecutio. Meminit baptizationis: Item, Esus & potus Israëlitarum. Ergo Sacramentorum veterum & nouorum in re significata ταυτότητα declarat?

LXXXVIII.

Certè si ταυτότης in voce baptizationis quærenda est, promtiùs erit, identitati in conuenientia actionum & rituum demonstrare, cum eò ducat et appellationis indicatio.

LXXXIX.

Quid quòd comparata ne quidem commune genus Sacramentorum tueantur, vt dictum est thesi 19. Quomodo igitur Sacramenta probabunt vt paria, cum Sacramenti nomen pariter non obtineant?

XC.

Si tamen licebit comparationem ad quosuis typos extendere, vt in istis pariter succedat ista identitatis ratio, tum in quibusnis prandijs & Cœnis populi Israëlitici secundum vsum Deute. 8. demonstratum, res Cœnæ Dominicæ similiter proponetur eadem.

XCI.

Permutat quidem Apostolus veteris Paschatis nomen, cùm inquit. Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus 1. Cor. 5. sed si orationem de veteri conformaueris ad similitudinem huius, dicendum erit. Pascha vetus mactatus est agnus. Quæ ergò in re significata ταυτότης?

XCII.

Quòd verò per agni significationem ad Christum excurrit cogitatio, vt identitas appareat, in ea meditatione memores simo discriminis vmbræ & corporis Col. 2. Et quòd Sacerdotes Legis deseruierunt ὑποδείγματι & σκιᾷ τῶν ἐπουρανίων exemplari & vmbræ rerum cœlestium, Heb. 8. Item Lex vmbram obtinuit futurorum bonorum non ipsam formam rerum, Heb. 10.

Quòd

XCIII.

Quòd si vlteriùs ad fidei admirãdam participationem excurrit disputatio, rei tamen futuræ & exhibitæ discrimen non cessat, & verè non est eadem res, tum quatenus non semper extitit, & fidei tamen præsens fuit, tum quatenus nunc existit & diuina ordinatione præbetur, in sacra Cœna cum benedictis elementis.

XCIIII.

Vt igitur certam ταυτότητα cum Augustino, Bertramo & Paschasio agnoscimus, ita cum ijsdem idem non idem dicimus, quando videlicet contra veritatem præsentiæ Corporis & Sanguinis Christi cum Pane & vino S. Cœnæ ex ista identitate insidiæ parantur.

XCV.

Hinc iterum ad propositum nos conuertamus. Detur identitas, in qua vetus nouusq; populus comparetur, & si prærogatiua quædam interuenerit, siue præstantia altertus patuerit, quemadmodum ex Epistola ad Hebr. 9. doceri potest, an non Bezæ & Caluini iudicio fluctuabit doctrina Apostoli?

XCVI.

Aduersaria itaq; argumenta cogunt, comparationem Corinthiorum cum Israëlitis in identitate escæ & potus exquisitiore deserere.

XCVII.

De Phrasi, quòd Petra corporalis fuerit Christus, haud putamus nobis laborandum, cum manifestum sit, non ex interpretatione nostra, sed ex declaratione Apostoli, quòd Petram intelligat spiritualem. Inquit enim: Bibebant ex sequente spirituali Petra: Petra autem erat Christus.

XCVIII.

Friuolum pronunciat Caluinus, quod Epitheton Apostoli vrgemus, cùm illud aliò, quemadmodũ ipse censet, nõ pertineat, nisi vt sciamus, symbolum fuisse spiritualis mysterij. Fa-

XCIX.

Facilè hæc dicuntur, sed quî probabitur, minus esse friuolum, quod Caluinus de symbolo violenter infert in textum, quàm quod nos de Petra spirituali promtiùs ex textu auferimus?

C.

Quàm miserè etiam excruciatur Beza, de Petra sequente responsurus, quòd rupi visibili non nisi valde coactè tribuitur, cùm de spirituali Petra extet declaratio Apostolica.

CI.

Sit sanè quod volunt: Petram deserti fuisse Christum: nunquam tamen id, quod porrò volunt, impetrabunt, nempe, quòd locutio illa torqueat orationem Christi de S. Cœna Sacramentalem, in formam metonymicam Caluinianam.

CII.

Præterquam enim quod concessum à nobis nondum probauerunt ex Paulo, obstat etiam identatis claudicatio, qua non constante, discrimen constat, indeq; paritas, quæ concludendi neruum promisit, infirmatur.

CIII.

Quandoquidem etiam placet illis collatio, remittimus eos ad Bertrami sententiam, supra thesi 77. propositam, ex qua siue impetamur, siue impetamus, Deo duce, speramus victoriam à parte nostra.

CIIII.

Imò, in Pauli textu habemus, quæ in lucro ponamus, licèt fundamentum originis in Institutione testamentaria vnicè situm non transferamus.

CV.

Caluinus ad dictum: Petra erat Christus: iam, inquit, diximus, veteribus Sacramentis exhibitionem rerum fuisse con-

 iunctam.

iunctam. Cùm igitur figura essent Christi, sequitur, Christum illis fuisse annexum. Et hæc quidem Caluinus conscientiam scientia adigente scripsit.

CVI.

Magis liquidum est, quòd ad versum primum annotauit. Nubes, inquit, passim vocatur symbolum præsentiæ Dei, quòd per eam testaretur, se illis adesse.

CVII.

Hîc nemo adeò vecors est, vt non animaduertat, realem vnionem symbolorum & rerum signatarum vel typis veteribus concedendam, multoq; minus Sacramentis adimendam esse.

CVIII.

Sint ergo Panis & Vinum S. Cœnæ, Corporis & Sanguinis Christi symbola, sicut nubes in deserto erat symbolum DEI, vel, vt Caluino etiam placuit, sicut Columba erat Spiritus S. an non Sacramentorum natura feret, quã Beza in nostra confessione auersatur, realem signi & signati coniunctionem?

CIX.

Sentiens hanc pressuram Caluinus ita sese redimere conatur. Christus fuit symbolis annexus non localiter, nec naturali aut substantiali vnione, sed Sacramentali modo.

CX.

Nisi verò Caluinus lectorem decipere voluisset, vel ipse falsus esset, his etiam positis nostram amplexus esset confessionem.

CXI.

Et localem inclusionem, & naturalem aut substantialem vnionem, h. e. transsubstantiationem vnius in alterum, negamus constanter.

CXII.

Publica est & consensu antecessorum Caluini nobilis confessio Formulæ, anno 30. VVitebergæ edita. Negamus, inquiunt, fieri transubstantiationem, nec sentimus fieri localem inclusionem in Pane, aut durabilem aliquam coniunctionem extra vsum Sacramenti. Concedimus tamen Sacramentali vnione Panem esse Corpus Christi.

CXIII.

Nec aliter, quàm nos, Sacramentalem vnionem possunt explicare, hoc est pro mystica & ignota vnione non possunt supponere notam & humanæ rationi perspicuam, qui S. Cœnam confitentur μυστήριον dici, quemadmodum Ephe. 5. vox illa vsurpatur. Ita enim Beza censet Respons. 2. ad me. pag. 109.

CXIIII.

Necesse enim est, vt Sacramentalis vnio hîc inter Panem & Corpus Christi accipiatur, quæ si à Sacramento dicitur, quod respondet μυστηρίῳ Ephe. 5. na magnum nobis arcanum proponitur in vnione Sacramentali, de qua etiam supra Bertramus.

CXV.

Multum quoq; errant, quòd localis inclusionis in Pane & Vino negatione absentiam Corporis & Sanguinis Christi ab elementis affirmari opinantur.

CXVI.

Ideò cum præmissa Negatiua Formula Concordiæ coniunxit tunc affirmatiuam. Sentimus & docemus cum Pane & Vino verè & substantialiter adesse, exhiberi, & sumi Corpus & Sanguinem Christi.

CXVII.

Nec dubitamus asseuerare, Corpus & Sanguinem Christi, eo in loco esse præsentia, quo in loco elementa benedicta iuxta institutionem Christi distribuuntur & sumuntur.

CXVIII.

Quia enim Christus non dedit Panem & Vinum, vt loco & vice Corporis & Sanguinis Christi duntaxat, vt signa, essent & acciperentur, sed vt Panis esset Corpus, & Vinum esset Sanguis Christi, & quidem Ecclesiæ in terra militanti hoc Sacramentum ordinauit percipiendum, cessaturum in Cœlo, absurdum foret, præsentiam rei Sacramenti à loco Sacramenti, & militantis atq; sumentis Ecclesiæ excludere.

CXIX.

In nube & cum nube Iehovam *Israëlitis adfuisse, in confesso est.*

CXX.

Petram quoq; spiritualem eos comitatam fuisse, hoc est, Israëlitis, locum mutantibus, Iehovam *singulari modo præsentiæ sese ipsis quouis in loco accommodasse, perspicuè testatur Apostolus.*

CXXI.

Absit sanè localis inclusio, sed & absit è loco exclusio, ibi inprimis, vbi certa præsentiæ promissio, & rei spiritualis cum elemento visibili coniunctio constat.

CXXII.

Iacob de loco, in quo dormierat & scalam viderat Cœlo terram nectentem, etsi Iehovam *è Cœlo scalæ innixum meminerat, inquit tamen: Verè* Iehovah *est in loco isto, quem etiam Bethel seu domum Dei appellat, ibiq; portam Cœli collocat. Gene. 28. Qua confessione adeò delectatur Dominus, vt eam ipse repetat Gen. 35.*

CXXIII.

Cùm Iacob luctaretur cum viro, qui erat Iehovah, *Gen. 32. ait, se vidisse Dominum facie ad faciem.*

Facie

CXXIIII.

Facie ad faciem videre, est signum videre, cui res signata coniuncta sit, quemadmodum phrasis: facie ad faciem: Vnitionem vnius ad alterum satis clarè indicat.

CXXV.

Israël etiam locum, in quo apparuerat vir, qui Iehovah *fuerat, appellat Peniel, hoc est, faciem Dei, quòd ibidem conspexisset Dominum, licèt mediante symbolo.*

CXXVI.

Quid verò hoc aliud est, quàm testari, quòd res signata ad locum signi verè præsens fuerit?

CXXVII.

Omnino grauiter hoc condocet Iacob, quòd sibi non sufficeret fide in Cœlum euolasse, nisi Iehovam *in terris singulariter præsentem crediderit.*

CXXVIII.

Regeret quispiam, quòd Deitatis sit vbiq; esse, id quod Corpori humano non competat.

CXXIX.

Num verò ideo Deus præsto fuit Iacobo, quia aliàs vbiq; erat, & non potiùs peculiaris præsentia locum illum nobilitauit, quod non fecit generalis?

CXXX.

Virum etiam absurdius est, vel Deum loco includere, vel Corpus loco non includere:

CXXXI.

Cùm tamen, illo non obstante, vel etiam negato, præsentia Dei in certo loco à Sanctis notata & credita fuerit, peculiariter nimirum Deo ostendente, cur nō similiter credamus Corpus Christi in loco præsens, in quo tamen non includatur Physicè, præsertim cum modus sit Sacramentalis, hoc est, mysticus, imperscrutabilis, Dei potentiæ reseruandus?

CXXXII.

Naturalis, inquiunt, ratio illud non largitur, nec fert.

CXXXIII.

Quòd non largiatur, concedo, quòd non ferat, temerè pronunciatur.

CXXXIIII.

Quî enim sciuero & probauero, Corpus illud ferre non posse, quòd quale sit formaliter non agnosco.

CXXXV.

Redeamus ad signa Iehovam *præsentantia, Gen. 35. Iacob iussu Dei reuersus in Bethel ædificauit ibi altare, & vocauit locum El Bethel, id est, Deum domus Dei.*

CXXXVI.

Caluinus ad hunc locum sic ascripsit. Quod loco nomen imponit Deus Bethel, videtur quidem esse nimis crassum, & tamen hoc quoq; elogio laudatur sancti viri fides, idq; iure, quandoquidem se intra fines diuinitus præscriptos continet.

CXXXVII.

Memoria dignum est, quòd Caluino teste id, quod nimis crassum videtur, si tamen ad præscriptum verbi credatur, Sanctam dicatur commendare fidem.

CXXXVIII.

Etsi igitur ratio nimis crassum putat, Corpus & Sanguinem Christi cum Pane & Vino in terris adesse, credamus tamen quòd à Christo dictum est, & Sanctorum sciamus fidem, hoc elegio ornari, quòd, rationis absurda non morata, intra fines verbi sese contineat.

CXXXIX.

Pergit Caluinus: Hoc est verè sapere, vbi Deum amplectimur, prout se ad modulum nostrum accommodat. In hunc modum Iacob non argutè disputat de essentia Dei, sed ex oraculo percepto Deum sibi familiarem facit. Quia vero sensus suos ad reuelationem dirigit, grata balbuties hæc & simplicitas DEO est.

CXL.

Hæc iterum præclarè dicta sunt de balbutie Iacobi. Tantundem verò tribuant Caluiniani sermoni Christi, cui lingua est erudita, Esa. 50. & nostram simplicitatem in negocio hoc Sacramentario Deo gratam cogentur fateri.

CXLI.

Quid n. dissensum inter nos & ipsos alit? Nonne quod illi argutè disputant de essentia corporis, & propterea simplicitatem nostram calumniantur?

CXLII.

Impossibile est, aiunt, verum Corpus, Salua sua veritate simul & semel sisti posse in plurib⁹ locis.

CXLIII.

Si quæris impossibilitatis rationem, id quod tamen formaliter ignorant, & à nobis Deo relinquitur integrum, cum naturalibus proprietatibus corporis commiscunt tanquam contradictorium.

CXLIIII.

Atqui huiusmodi conclusiones, cum propter medium terminum in notum & ignotum disruptum planè careant nexu, ne quidem sapientia humana probauerit. Multò igitur minus erunt magistra fidei Christianæ. Atq; hoc pero diligenter examinari ab opponentibus, cum hic multi docti impingant, vt nobis iniquiores, Caluinianis autem æquiores reddantur.

CXLV.

Vtq; sit ingeniosis sese exercendi copiosior materia, insigne instantiam impossibilitati opponimus.

CXLVI.

Omnes, qui Caluinum sequuntur hodie confitentur, Christum non solùm Spiritu, sed etiam Carne & Sanguine vniri cum

cum suis fidelibus arctissimè, adeò, vt ne quidem naturalis cibus & potus, quo Simili frequenter S. scriptura vtitur, arctiùs cum Corpore coalescat, atq; Christus carne atq; sanguine suo nobiscum copuletur.

CXLVII.

De hac vnione peculiari disputatione pleniùs, volente Deo, agemus, hîc verò illam tantùm quæstionem expediemus, num præsentia ista locum in terra refugiat?

CXLVIII.

Christus de præsentia sua, fidelibus promissa, disertè inquit: quòd sit mansio in fidelibus Ioan. 14. & 15. & quidem mansio secundùm receptam Carnem & Sanguinem. Qui edit meam Carnem, & bibit meum Sanguinem in me manet, & ego in eo. Ioan. 6.

CXLIX.

Ac ne locari in terra, præsentiam illam Christi, qua tam perspicuè Carnis & Sanguinis illius participatione constare dicitur, ideoq; corporalis à Cyrillo appellatur, hanc igitur ne suspicemur contra mentem Domini huc vsq; ad homines pertingere, non tantùm Christus dixit: Ego vobiscum sum Matt. 28. sed etiam ait, veniemus ad eum Ioan. 14. Item ὅπου δύο εἰσὶ, vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ἐκεῖ, ibi sum in medio eorum, Matth. 18.

CL.

Non excipit Christus locum, sed in ipso loco terræ eam præsentiam promittit, quam ipse Corporis & Sanguinis sui communicatione definit, & Cyrillus corporalem vocat, etsi modus præsentiæ non sit localis Physicus.

CLI.

Nec potest negari, Corpus & Sanguinem Christi in illo loco adesse fidelibus, vbi ipsi sunt in terra, nisi mansio in ipsis, & aduerbia localia ἔνθα & ἐκεῖ, quæ Christi oratio exprimere non dubitauit, expungantur, vel præsentia illa Ecclesiæ promissa secundùm Carnem & Sanguinem Christi fieri negetur, contra manifesta scripturæ testimonia, & Caluini, Bezæ & aliorum nobis aduersantium confessionem propriam. In quo rursus experiatur ingeniosus.

CLII.

Aduersarij nostri communem Sacramentorum naturam perpetuò nobis obijciunt, vt realem præsentiam rerum signatarum declinent, nec tamen istam doctrinam alicubi in sacris literis generaliter ita traditam & applicatam demonstrare possunt.

CLIII.

Nos verò de præsentia reali signis sacris in quouis loco terræ semper debita, habemus regulam vniuersalem, tum ad Ecclesiam Dei, tum ad Sacramenta vtriusq; fœderis perpetuò pertinentem. In omni loco, inquit Iehovah, *in quo meminisse fecero nominis mei, veniam ad te, & benedicam tibi, Exo. 20.*

CLIIII.

Præsentiam Deitatis hîc sponte largiuntur aduersarij, idq; satis est, ad vniuersalitatem & generalitatem, de qua agitur.

CLV.

Quòd ad Corpus Christi attinet, nihil adstruimus ratiocinando. Quia verò os Dei hîc respondet, & disertè in Ecclesia & in S. Cœna pollicetur præsentiam Carnis & Sanguinis Christi, non est quòd horum respectu exceptionem faciamus, nec quid Deus affirmauit, homines negemus.

CLVI.

Hoc tamen multos pios perturbat, quòd negari nequit,

Loci distantiam interuenire, cùm Christus Corpore suo alicubi in Cœlis esse etiam à nostris agnoscatur, quando nos corpore in terris agentes ἐκδημέμεν ἀπὸ κυρίε, peregrinamur à Domino 2. Cor. 5.

CLVII.

Item, quòd non solùm singuli fideles cum Christo, sed etiam hac vnitione omnes inter se vnum corpus fiant, & tamen, qui Regiomonti Borussorum, VViteberga Saxonum, aut Ienæ Thuringorum sunt membra corporis istius, non sunt simul corpore Helmstadij.

CLVIII.

Nec verò nos primùm ita tentamur, quasi confessio nostra vt noua παράδοξον hominibus obÿceret, verùm etiam orthodoxa Antiquitas sua constantis confessionis occasione itidem perturbata est, eodem autem beneficio, quo nos, expedita cauit, ne ex apparente consequente antecedenti in sacris literis extanti limam adhiberet.

CLIX.

Testis est Cyrillus, qui palàm profitetur, non solùm habitudine aliq; affectu, vel pietatis consensu, aut spiritus communione, sed Sanctæ Carnis Christi participatione vnionem illam constare, qua Christus suis suam promisit præsentiam.

CLX.

Naturalem igitur & corporalem istam coniunctionem appellat, sanè non physicè, nec tamen eò progreditur, vt alium modum impossibilem dicat, imò pro sua pietate & modestia, quæ nostris inexpiabili vitio vertitur à Caluinianis, postquam de naturali vnitate inter sanctos quæsuit, sic inquit: Fortassis etiam corporali vnione coniungimur, licèt adeò disseparati simus, vt seorsim subsistamus & circumscribamur.

Hanc

CLXI.

Hanc modestiam pium pectus meditetur, & reperiet, nostram doctrinam de corporali præsentia Christi cum Pane & Vino S. Cœnæ, & quidem in pertinacia, quam Caluiniani super retentione nobis crimini ponunt, spirare & sapere sanctam Cyrilli παπνοφροσύνω.

CLXII.

Quòd autem dubitatiuè loquitur Cyrillus, Fortassis, inquiens, id de modo, qui nobis videri posset impossibilis, accipiendum est, vt & ibi sobriè philosophari discamus, quanquam alia sit ratio inter Christum & sanctos eius, quàm inter sanctos ipsos.

CLXIII.

De modo autem mystico & arcano assertiuè ibidem sic loquitur. Vt igitur inter nos & Deum singulos vniret, quamuis corpore simul & anima distemus, modum tamen adinuenit, consilio Patris & suæ sapientiæ congruentem.

CLXIIII.

Hic sese exerceat, quem Corporis & Sanguinis Christi corporalis, & tamen arcana præsentia cum Pane tantopere offendit, & opinio impossibilitatis captiuat.

CLXV.

Nos verò à desertione fidei & simplicitatis Cyrilli abhorremus, tum quòd rationem hic exprobrantes ratione confundi posse videamus, tum quòd verbum Dei fidem sine arguta disputatione postulet, etiam Caluino hoc in simili statuente.

CLXVI.

Quia igitur Christus Carne & Sanguine suo est in medio fidelium, vbicunq; illi sunt, manetq; in ipsis, & Corpus atq; Sanguinem suum cum Pane & Vino accipere, comedere & bibere iussit, nec in Carne & Sanguine, quæ tamen semper veritatem suæ substantiæ retinere credimus, impedimenta, Deo ineuitabilia, nec in Deo ἀδωναμίαν, quæ id, quod tam disertè dicitur, suo modo perficere nequeat, statuimus.

CLXVII.

παντοχυσίαν tamen & omnipotentiam Corporis Christi κατ' ὐσίαν non asserimus, idq; ideò, vt firma D. Lutheri vestigia acuratè legamus.

CLXVIII.

Huic enim venerando Ecclesiæ Doctori iniuriam facit Beza in Resp. ad me prima, pag. 18. sic scribens: vidit tandem Dominus Lutherus quod verissimum est, non nisi posita Corporis vbiquitate (id est, reali Christi omnipræsentia) stare posse ipsius de reali consubstantiatione dogma, quoniam, vnum & idem est vtriusq; dogmatis fundamentum.

CLXIX.

Hoc nemo vnquam probabit verum, cùm ne quidem de vbiquitate quadam differens, vel verbulo eius necessitatis, quam Beza obtrudit, meminerit, nedum præcisa ista disputatione, itaq; tandem eam animaduerterit, vt Beza contra suam etiam conscientiam scribere ausus est, quemadmodum confessione propria conuinci potest, ita ad D. Pappum scribens: Audis Lutherum velle præsentiam Corporis Christi in Cœna ab vnius institutionis verbis pendere? Audis illum nolle prorsus, vt quæstio de vbiquitate in hac controuersia audiatur. Hæc Beza seipsum refutans & de Luthero vera commemorans.

Inui-

CLXX.

Inuidiosam etiam vocem consubstantiationis Beza finxit, non Lutherus. Etsi n. duæ substantiæ vniuntur, non tamen est necesse vt consubstantientur, quod est compingendarum & commiscendarum substantiarum. Et diserè reiecit Lutherus, quòd durabilis quædam coniunctio extra vsum fingitur, vt testatur Formula Concordiæ anni 36.

CLXXI.

Vnum, inquit Beza, vtriusq; præsentiæ fundamentum est, nec alia ratione corpus pluribus simul, quàm omnibus locis adesse sua substantia dici potest. Hoc autem cum sit vnius Deitatis essentialiter proprium propter infinitatem, tam absurdum est, quod dicis, Deum si velit illud efficere, posse, quàm est falsum & absurdum plura statuere infinita, id est, plures Deos.

CLXXII.

Hæc est grauissima pars huius controuersiæ, ex qua Dn. Luthero & genuinis discipulis ipsius magnum in orbe Christiano odium conflatur, sed præter culpam.

CLXXIII.

Nam Dn. Lutherus & Formula Concordiæ recèns constanter damnat, si quis Corpus Christi faciat infinitam essentiam.

CLXXIIII.

Nec ego vnquam dixero, Deum facturum, quòd dictum iure damnabile pronunciatur, præsertim cum suum nolle palàm declararit: Gloriam meam alteri non dabo, Esa. 42. & 48.

CLXXV.

Quia tamen in magna infirmitate iudiciorum humanorum etiam excellentium non rarò contingit, vt verè aliquis execretur consequens, cuius antecedens à se positum non videat, insuperq; defendat, operæ pretium est expendere, qua consequentia Beza Lutherum & nos in horrendum illud paradoxum duorum infinitorum præcipites.

CLXXVI.

Non alia, inquit, ratione Corpus pluribus quàm omnibus locis sua substantia adesse dici potest. Hoc impossibile ita asseuerat Beza, sed non probat, nec probare potest, nisi simul demonstret, Deum omnemq; eius potentiam ad vnicam rationem esse extrema necessitate alligatam.

CLXXVII.

Lutherus contra docet, Deo plures reseruandos esse modos, quàm ratio sua inquisitione numeret, atq; hoc & ompotentia Dei & nostra modestia dignum est.

CLXXVIII.

Instat Beza in Conspicillo his verbis. Necessariò fatendum est, vbiq; esse & pluribus, siue paucis siue multis, locis simul totum esse, vnius & eiusdem esse naturæ & virtutis, non certè humanæ, nec etiam angelicæ, sed vnius diuinæ.

CLXXIX.

Denuò audio dictata hominis, firmamenta verò non audio.

CLXXX.

Non enim quæstio est, num proprium Dei vlli Creaturæ essentialiter communicetur, vt vel Christi humanitas dici queat essentialiter seu sua essentia omnipotens, viuifica &c. Hoc enim in æternum non futurum perspicuè confitetur Formula Concordiæ pag. 305.

CLXXXI.

Hoc autem nunc quidem, & in locum de Cœna quæritur, num, quæ sunt propria Dei, æterna similitudine quadam conferri possint Creaturis, manente discrimine finiti & infiniti.? Huc deuolui disputationem, omnes sani iudicij censores fatebuntur.

CLXXXII.

Quod Deus ad sua proprijssimè propria non creavit vel non condat simile, salua sua præeminentia singularitate & proprietate, id falsum est. Deus

CLXXXIII.

Deus n. hominem fecit ad imaginem suam in iustitia & sanctitate vera, & ad eandem eum refingit, Gen. 2. Ephe. 4.

CLXXXIIII.

Quid magis proprium Deo, quàm esse essentiam spiritualem, inuisibilem, viuam, immortalem, & talem tamen fecit animam hominis, adde etiam simplicem & impartibilem essentiam, quæ tamen non est Deus.

CLXXXV.

Manifestum igitur est, Deum in creatione probasse, quòd quæ sibi propria solus obtinet, similitudine quadam effigiet & exhibeat in Creaturis, seruato discrimine finiti & infiniti.

CLXXXVI.

Hinc ergo & hoc liquet, quòd modos vno plures habeat, possitq; in creatis aliquid præstare ad similitudinem sui proprijssimi proprij.

CLXXXVII.

Nec maius quiddam est, esse in pluribus locis, quàm esse spiritualem immortalem essentiam. Non igitur illud quàm hoc minus possibile.

CLXXXVIII.

Quis nouit, quomodo anima sit in corpore? Certè qui inter veteres & hodie grauissimis argumentis statuunt, eam esse in toto corpore, & in qualibet parte totam, vbiquitatis diuinæ imaginem in animæ essentia agnoscunt, & vt facilè non refutantur, ita non metuunt ne in Philosophiam impingant. Quale igitur est offendiculum, quod ratio hic obiectum tantopere refugit?

CLXXXIX.

Vt igitur falsum demonstramus, propria Dei non habere in creaturis similia, indeq; rursus falsum euincitur, non alio quàm vno modo talia fieri dici posse: Ita sani homines vel palpare possunt, nõ constare hoc etiam confidentiss. à Beza prolatum. Necessariò fa-

viò fatendum est, vbiq; & in pluribus simul locis totum esse, vnius diuinæ naturæ esse. Atq; in hoc themate rursus neruos ingenij intendat, qui sine ratione dissentire non cupit.

CXC.

Corpus tamen hominis, vllúmve aliud tale creatum esse, vt sua natura & vi pluribus in locis sese simul & semel totum sistat, hoc fateor negandum.

CXCI.

Quòd si autem dixero, Deum etiamnum non posse istud præstare, hoc ex eo, quod initio tale factum non est, non concludetur, nisi data hac thesi. Quòd initio Deus non fecit, id nec post facturus est, aut facere poterit.

CXCII.

Hæc verò propositio multis miraculis in corporibus præter naturam rerum à Deo exhibitis refellitur, qualia sunt: quòd ferrum in aquis natare fecit: Christus corpore suo super vndas ambulauit, & clausas fores penetrauit, quibus certè docemur, ne potentiæ Dei modum ponamus, & quidem eo ipso in articulo, in quo hic nobis controuersia voluitur, nimirùm num corporibus absq; substantiæ ipsorum mutatione conferre possit, quæ naturæ illorum videntur contraria?

CXCIII.

Reuocetur autem disputatio ad intentionem, quòd vnum sit fundamentum præsentiæ corporis Christi in pluribus locis, quod est omnipræsentia.

CXCIIII.

Putauit sanè Beza eiusdem esse generis vtranq; præsentiam, ideo in Responsione ad Holderum pag. 84 scribit. Absurdum esse, aliam causam specialis præsentiæ realis & essentialis in Cœna ponere, quàm generalis omnipræsentiæ, cum causa generis, sit etiam speciei causa.

Cum

CXCV.

Cùm autem docuerimus, differre omnipræsentiam DEI, & præsentiam Corporis Christi in Cœna, veluti infinitum & finitum, increatum & creatum, generis profectò identitas nulla hic est.

CXCVI.

Quæ verò toto genere differunt, non necesse est causa conuenire, itaq; nec vnum fundamentum erit vtriusq;, cum de fundamento, causam definiente, agatur.

CXCVII.

Errat etiam in hoc Beza, quòd ex omnibus locis infinitum colligat, cui respondet Lutherus in maiore Confessione, Mundum non esse infinitum.

CXCVIII.

Ergò cùm docemus, Deum, si velit, præstare posse, vt Corpus suum non solùm in multis, sed etiam in omnibus locis sit, hic non dicimus, Deum Corpus verum infinita vbiquitate præsens facere, ideoq; in absurdum obiectum non impingimus, verùm retinemus, quod Formula Concordiæ anathematismo, 2. in loco de persona Christi, sic statuit: Reijcimus & damnamus, si quis docet: Quòd humana Christi natura vt infinita essentia sit vbiq; præsens.

CXCIX.

Ab hoc etiam anathematismo saluare possumus disputationem D. Lutheri de vbiquitate, sed propter prolixitatem defensionem istam in thesibus hisce expedire non possumus.

CC.

Cùm Tomo 8. Ienensi monet, de vbiquitate non esse disputandum in controuersia de Cœna, quia longè alia res sit: differentiam generis obstare dicit, quare vbiquitatem non faciat fundamentum præsentiæ in Cœna.

CCI.

Quod verò nonnulli nostratum specialem & generalem

præsen-

præsentiam appellarunt, istud non tam Quid, quàm Quantum sit, spectat.

CCII.

Specialem enim appellant, quæ in multis, generalem, quæ in omnibus locis vel absolutè statuitur præsentia.

CCIII.

Iam si ex speciali nobis necessariò affirmanda esset generalis, regula iudicij fieret hæc. Positis multis, ponenda esse omnia, quæ sant non recipient necessariam.

CCIIII.

Quòd si generalis appellata, æquiuocationis explicandæ gratia in finitam & infinitam distinguitur, fateor finitam generalem eiusdem esse generis cum præsentia, quæ in S. Cœna à nobis defenditur.

CCV.

Si itaq; quæratur, quòd vtriq; debeatur commune fundamentum, respondeo, Verbum Dei, quod si tam perspicuè traditũ esset de omnibus locis, omnibusq; creaturis, atque traditum est de Pane & Vino in sacra Cœna, quæ in terra administratur: equidem vtrunq; credendum esse persuasum habeo, qui tamen statuo, Corpus Christi in æternum non futurum infinitam essentiam, qualis est sola essentia Dei.

CCVI.

Quòd autem generalem non æquè affirmem vt alteram, modestia Saxonica Deo probata facit. In nobis, inquit Apostolus Paulus, discatis μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν, non supra id, quod scriptum est, sapere, 1. Cor. 4.

CCVII.

Quòd si quis ex eo, quod generalem finitam non possumus inficiari eiusdem generis cum speciali præsentia in Cœna, arbitrabitur, posita specie necesse esse poni genus, ideoq; generalem cum speciali affirmandam, is nisi Logicam regulam Physicam, h. e. veram falsam fecerit, nihil tale impetrabit.

CCVIII.

Homo erat, cum Adam solus in mundo ageret, itaq; communis notio, quæ species dicitur, omnino danda, dato individuo hominis, sed extra singulare non nisi actu intelligendi constitit, quod sic vniuersale constituitur.

CCIX.

Sic ergo data præsentia Corporis Christi in pluribus locis, certum est, genus Logicum non posse negari, sed vt non necesse est, datis actu singularibus, dari actu vniuersale præter & extra singularia, sic non est necesse, vt præsentia Corporis Christi realiter in pluribus locis data, detur etiam talis in omnibus locis.

CCX.

Maria mater Domini concepit & peperit absq; marito: Hinc speciem & genus formar Logicus, etsi hæc sola, & nulla alia virgo peperit.

CCXI.

Ergo, ne sic quidem posita specie, necesse est poni genus, hoc est, actu data realis præsentia in S. Cœna, non est necesse actu dari realem præsentiam in omnibus locis.

CCXII.

Non igitur leuiter in nos iniurius est Beza, & qui cum illo faciunt, cùm hoc pronunciant. Docentes cum Luthero præsentiam Corporis Christi realem, oportet aut vniuersalem præsentiam eiusdem corporis affirmare, aut illius assertionem deserere.

CCXIII.

Vtinam verò hæc reuocata ad textum Apostoli de Iehovah, comitante Israëlitas, consilio Caluini, ad exemplum Iacobi, Gen. 35. exigerentur, vt tam de corporis, quàm de Dei essentia minus arguiè disputaretur, & verbis Domini simplicius fides haberetur, expeditum hoc experirentur omnes, dictum locum

Pauli

Pauli nostra confessioni non posse opponi. Attentos etiam lectores, etsi calumnia illos priùs fecerit in nos duriores, emollitum iri speramus.

CCXIIII.

Quædam verò huius loci reseruauimus disputationibus, quas de manducatione Sacramentali & indignis peculiariter, iuuante Christo, instituemus: In proximè verò sequente agemus de altera parte, 1. Cor. 10.

Deo sit gloria.

BIBL. UNIW. WROCŁAW

ANALYSIS
SEX PARALOGISMORUM
VVENCESLAI STUREMI, Quibus probare conatus est, Ecclesiam Fratrum Boleslaviensium ex Deo non esse, & Spiritum sanctum non habêre.

HERBORNÆ,
Ex Officina Christophori Corvini.
Anno M. D. Lxxxix.